



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

2. Columna Milliarium aureum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

Saturnalibus suis, lib. 1. cap. 20. nihil aliud esse Herculem arbitratur, quàm Solem: videlicet, nihil hoc univertum fortius, nihil magis invictum & constans habet, quàm luminis illum fontem: duodecim autem labores, quos Hercule adscribuntur, ut fortitudinis insuperabilis argumenta, quid aliud sunt, quàm XII. signa Zodiaci, quae Sol singulis annis conficit? Sic ille, quæ explicat fulsime. Itaque, Columnæ ab Hercule, id est, Homine insigni robore animi, & excellentissima quadam virtute prædito stabilitæ, sunt *Fortitudo & Perseverantia*, quibus inscribi potest *NIHIL ULTRA*. Neque ullus tam eras vefanus, qui illas sibi ut Insignia, vel Symbola adsumat, insculpatque *PLUS ULTRA*. Hæc Theologi est differentia, à reprehensione justa immunis: à Calumnia fortasse non æquè: sed lappas extimam vestem carpentes Sapientes levi motu excutiunt facile. Ab iis Columna incipit longissima illa navigatio in orbem alterum, & desinit iter hujus orbis: quare limites sunt itinerum exordia, termini æquè, à quibus, & ad quos. Quæ consideratio ducit nos ad alterius Columnæ contemplationem.

## ARTICULUS II.

## COLUMNA

*Milliarium aureum.*

**I**N mentem vobis veniat Columna apud Romanos celebratissima, quæ in Urbis foro ad hoc posita erat, ut ab eo iter mensuram acciperet, & miliaria numerarentur: atque idcirco nominabatur ipsa Columna *Milliarium*

COLVMNA MILLIARIVM. 483

*liarium aureum*, quod aurata esset: auctor Plinius. (a) In ea nobiles omnes Italiae vias incisas fuisse testatur Plutar-  
 rarchus. Sub æde Saturni fuisse positam tradit Tacitus, ubi agit de Othone; id ipsum etiam habet Suetonius in Othone. Ab Augusto autem fuisse erectum *Milliarium aureum* scribit Dio in historia lib. 54. Quare dum passim apud historicos legimus, secundo, tertio, quarto ab Urbe milliario, non de Urbis Romanæ portis intelligendum id est, sed de Columna in foro posita, ut in Urbis umbilicæ, nunc in arcâ Capitolina visitur. A Columna Fortitudinis, & Cōstantiæ iter Æternitatis nobis incipiendum est, in eadem iter Mortalitatæ finiendum. In ea sunt incisæ omnes ad cælum tendendi viæ regiæ, quas frustra alibi inquirimus. Qui *Fortis & Constans* perseveraverit usque ad finem, eò perveniet.

(a) *Plin. lib. 3. cap. 5. Tac. lib. 17. Sueton. in Otho. Plutar. in Galba.*

ARTICVLVS III.

COLUMNÆ STYLITARUM.

ORBEM universum nominis sui celebritate impleverunt nonnulli, qui, quod in Columna habitationem, sedemque sibi constituissent Stylitæ sunt cognominati. Inter quos notissimus fuit *Simeon* monachus Senior, qui in Columnâ stans multos annos vixit, fuitque stupori omnibus ipsum adeuntibus, & spectantibus tandem, centenario major iter æternitatis est ingressus. Alius fuit junior *Simeon* Stylita, ut auctor est Euagrius lib. 6. cap. 26. qui eo utebatur familiariter. Et ejus extant litteræ scriptæ ad Imperatorem Iustinum, quæ recitatae

Gg 5 fue-